CARMINA JOSEPHI TOZZI

Giuseppe Tozzi



JOSEPHI TOZZI

CARMINA.



NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA AD SIGNUM ANCHORÆ
Largo S. Marcellino n.° 2.

MDCCCLXVI. 7.

CAJETANO CANONICO BARBATI

SACRO EJUS NOMINI RECURRENTE DIE.

Dum saevos inter jactatur vita tumultus ,
Atque animus valido curarum fluctuat aestu ,
Tu mihi solus ades, rebus solamen amaris,
Atque adimis, Barbate, metum, recreasque jacentem
Spe dulci , dictisque seris bona gaudia mente.
Scilicet alta petens animo , totaque volutans
Mente Deum , parvi mortalia pendis , et ore
Aspicis intrepido vitae casusque , vicesque ;
Quaeque tibi virtus est coelitus addita , nostris
Inspiras animis , et corda labantia firmas.
Seditio , terras regnet bacchata per omnes ,
Et quodcumque nocet , sibi fas, sibi censeat aequum.
Te duce, nil paveam, quidquid furor, arma minentur,
Nil mihi sit durum, nil non optabile tecum ;
Uno te vivo , nunquam periisse videbor!
Dulce decus, Barbate, meum, et cura unica, salve.
Si nomen laudesque tuas aequare canendo ,
Haud mihi sorte datum , tamen omina sume libenter,
Quae tibi laeta damus. Non auri pondus inane ,
Non tituli decora alta tibi , populique faventis
Auram opto , teneris quae tu generosus ab annis
Despexti ; bona sed longe meliora precamur.

684

Excelsi, *Deus ille*, Patris, Gnatique voluptas,
Amborum *communis amor*, quo munera fonte,
In terras plenis manant coelestia rivis,
Adveniens bonus ipse, sua te numinis aura
Afflet, et admotis urat praecordia flammis,
Ardeat unde tibi, dulcique liquescat amore
Pectus, semper ames, unoque in amore quiescas.
Te quoque largus opum cumulet septemplice dono,
Quo coelestem agites mortali in corpore vitam,
Vis te nulla premat, non te petat invida dente
Lingua, nec ulla tuos obducant nubila soles.
Ipse, tuum comitetur iter, *Deus,* astraque visas
Serus, ubi extentos virtute impleveris annos,
Victor et *injustis* spoliaris tartara *praedis.*
O tandem insano flagrantes igne *puellae* (1),
(Quas velut errantes certas ad ovilia rursus
Ducere, pastor, oves), mentis caligine pulsa,
Admoveantque tuis faciles hortatibus aures,
Et vitae, incipiant studia illaudata, peractae
Horrere, et flammis longe melioribus uri!
Auguror eveniat; coelo Thieneius heros,
(Cujus, et effigiem, pietate insignis, et actis
Ipse refers, nomenque geris) sacra festa per aras
Annua dum colimus, meritosque novamus honores,
Annuat o, felixque mihi, haud injusta roganti,
Adsit, et assidua, supplex, prece Numen adoret,
Ne pia vota cadant, neu sint haec omina vana,
Candidiorque tibi redeat lux annua coelo.

(1) Hoc omen *Barbato* longe acceptissimum, qui in revocandis ad meliorem frugem istiusmodi *puellis* totus est, nec ullis aut sumptibus, aut laboribus parcit. *Opera Dei revelare honorificum est.* JOB.

Pia in Deum vota.

Peccavi, quid faciam?
Job.

Quid veniam pacemque negas, Rex magne, roganti?
  Obduras nostris pectora quid lacrymis?
Peccavi, caelique (1) pudet convexa tueri,
  Meque tuum natum (2), teque vocare patrem.
At quoties dixti: haud poenas e sonte reposcam,
  Quem pudeat sceleris, poeniteatque sui?
Hei mihi, quem supplex, precibus nisi flecteris, orem?
  Vulnera quis medica nostra levabit ope?
Parce, Pater, natique pius miserere gementis,
  Parce, tui non est pectoris iste rigor.
Non oculi absistent lacrymis, non ora querelis,
  Ipse tua vinci ni pietate sinas.

Heu mihi quia peccavi nimis! quid faciam miser? ubi fugiam, nisi ad te Deus meus?
Job.

Hanc animam commissa premunt dum pondere iniquo,
  Quis, nisi tu, misero dulce levamen erit?
Perdere me potui, sine te, reus ecce fatetnr,
  Emersisse malis, te sine, non potero.
Hi gemitus, haec et moesti suspiria cordis,
  Non invisa mei signa doloris erunt.
Flecte oculos animumque, Pater, jam parce fatenti,
  Neu patiare tuae facta perire manus (3).

(1) Nolebat nec oculos ad coelum levare. — *Ev.*
(2) Non sum dignus vocari filius tuus. — *Ev.*
(3) Opera manuum tuarum ne despicias. — *Psal. 137.*

Ad Deum amandum, etiam publicorum odio facinorum excitamur.

Ad te cuncta vocant, Deus, immortalia mentem,
Quaeque olim finem sunt habitura suum.
Quin *malefacta* hominum, rerum dum taedia nostro
Augent corde, tui semina amoris alunt.

Naturae una vox: Deus est.

Lux tenebraeque, Deus, mors vitaque, vesper et ortus,
Atque elementa, tuum cuncta loquuntur opus.

Bona et mala esse Deum testantur.

Cum bona divini monumenta putemus amoris;
Justitiae testes, quis neget esse mala?

In maximis reip: miseriis satius esse mori, quam vivere.

Dum scelerum facies multae, et fas vertitur omne,
Publica dum vitiis res perit aegra suis;
Cernere qui potero populi mala tanta? perire
Sit melius; terra est jam mihi culta satis!

Amicorum vitiis nonnullam esse veniam adhibendam. Monitum varie repetitum.

I.

Et bonus, atque malus quivis: tu cautus, eodem
Utere, qua bonus est, quave malus, fugito.

II.

Omni parte bonus , nemo est ; utaris amico ,
Ut sapiens , visus qua tibi parte bonus.

III.

Et virtus, vitiumque viro sociantur in omni ;
Si velis hinc omnes temnere, solus eris.

IV.

Est vitiis sine, nemo : si defugis omnes ,
Invenies hostem , te quoque, quem fugias.

Ad amicum.

Tot mala perpessus , tu , praemia ad alta vocaris :
Solamen justis datque , adimitque Deus.
Tot mala perpessus quoque sum, cur praemia desunt ?
Peccavi : satis est non periisse reo.

Ad eundem , cum miram laudis significationem , contra spem , esset consecutus.

Laudem ex hoste refers , caris despectus amicis.
Hocce quid est? sapiens Ludit in orbe Deus.

De paupere pauperi subveniente.

Auxilium poterant inopi qui ferre , negarunt :
Occurrit miseris quis modo rebus ? inops !

D. O. M.

MICHAEL TOZZI HIC SITUS EST

VIR COMIS ET BENEFICUS

QUI PRAEDIVITIS FAMILIAE FORTUNAS

ANNOS III ET XXX SIC ADMINISTRAVIT

UT AUCTAS IN TRIPLUM RELIQUERIT

NULLA FILIIS TRADITA HAEREDITATE

PRAETER INTEGRITATIS LAUDEM SINGULARIS

QUAM CARUS FUERIT CIVITATI

MOERORE FUNERIS INDICATUM EST.

VIX AN. LVII. M. VI.

REPENTINO MORT. EST MDCCCLXV.

D. O. M.

FELIX TOZZI MICHAELIS FILIUS

EGREGIA INDOLE NATUS ADOLESCENS

TORMENTI BELLICI QUOD MALE CAUTUS ATTRECTAVIT

GLOBULO ERUMPENTE PERCULSUS

ILLICO CONCIDIT EXANIMATUS

CASU MISERANDO
